

1531 mandarunt, ut quantum in se esset, piratas, qui rapinis cuncta maria foedabant, persequeretur; adversus illos non modo christiani nominis, sed humani totius generis hostes acerrime pugnaret; quos invenisset, nulla tactus miseratione, veluti publicae quieti ex professo adversantes, caderet, atque obtruncaret. Plura illorum navigia capta; multi interfecti meritis immanium scelerum poenas luere.

*Ferdinandus,*

*Rex*

*Romanorum*

*declaratus,*

*Aquisgrani*

*coronam*

*suscipit.*

*Ferdinandi*

*Regis ora-*

*tor ad Ita-*

*lorum Prin-*

*cipum auxi-*

*lium contra*

*Turcas im-*

*plorandum.*

Ceterum Ferdinandus, cum Romanorum Rex declaratus de more Aquisgrani corona inauguratus fuisset, quam illi amplissimam dignitatem Senatus officii plenius literis gratulatus fuerat, in eo totus erat, ut Suleimano, quem in Pannoniam cum ingenti exercitu venturum crebri rumores afferebant, haud impari conatu obsisteret, undique copias cogeret, pecuniam pararet, cunctos Principes exoraret, ut communi Christianae Reipublicae periculo communibus viribus obviam irent. Proinde oratorem ad Italiae nonnullos Principes miserat, qui ab iis postularet, ut sacrum bellum adversus Turcas pro republica christiana susceptum, in eorum ditionibus promulgari sinerent; quod in praecipuis Italiae urbibus, supplicationibus habitis, maximo populorum concursu effectum est; cum Pontificis iussu viri religiosi cunctos concionabundi vehementissimis orationibus ad stipem conferendam impellerent. Senatus veritus, ne si intra suos fines sacrum indiceretur bellum, Suleimanus in Rempublicam incitaretur, atque ea pax labefactari posset, quam eo tempore maximopere rebus suis conducere arbitraretur, cum Pontifice egit, ut Reipublicae statum sibi ante oculos proponeret; neve potentissimum hostem sacro edicto adversus illam lacefferet; eximium suum in religionem studium satis perspectum, quo majores incensi ingentibus se periculis pro illa tuenda, atque augenda objecissent. His permotus Clemens, a bello in Venetis ditionibus adversus infideles indicendo abstinuit. Verum fama, quae de Turcarum apparatu percrebuerat, hoc anno impares eventibus rumores habuit: nam Suleimanus Hadrianopoli egressus, venationum studiis intentus, segnius, quae ad tantam belli molem comparandam requiri videbantur, obibat; a summis curis animum avocando tempus terebat, ut tandem in posterum annum Hungaricum bellum distulerit, magnaue cura, ac metu Christia-

nos